



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Kunegundis Augusta V. 3. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

in genua se abjecere solitus , cùm obitum suum  
pridie ab Angelo didicisset, fecit mane, & ad aram  
ipse quoque victima placidissimâ morte procu-  
buit. Ex Surio.

*Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem  
magnum te nescius , & manifestam omnibus tuam te  
solus materere sanctitatem ; mirabilem te apparere , &  
contemptibilem te reputare. hoc ego ipsis virtutibus mi-  
rabilius judico. S.Bern.serm.13.in Cant.*

## S. KUNEGUNDIS AUGUSTA V.

3. Martii.

**N**ulla tam in diadematè KVNEGUNDIS gem-  
ma , quām in ipsâ KVNEGUNDE virginitas  
splenduit; quæ ut cæli oculos mirè recreavit, ita  
Cacodæmonis usque adeò perstrinxit, ut, quando  
extinguere non poterat, offuscare saltem sinistris  
apud animum HENRICI suspicionibus sit adnitus:  
sed provocavit ad flamas judices innocentia, &  
innoxius à ferro candenti pes egregium inculpa-  
to animo testimonium dixit. Porrò cùm tori ca-  
stissimi custodem mors abstulisset, verita KVNE-  
GUNDIS tantum thesaurum mundo concredere,  
in Caufungensem, quem ipsa struxerat, Partheno-  
nem cum eo se abdidit; cuius disciplinam cùm Uta  
neptis ejus laxaret, verbis sæpius nequidquam in-  
crepitam, tandem etiam manu objurgavit , & di-  
gitorum luculentas notas in genâ icta reliquit,  
nullâ deinceps arte confusas vel deletas. Moritu-  
ræ de cælo Henricus obviām iit, ad fistendum Ju-  
dici orbis miraculum , Imperatores conjuges sed  
virgines : ad tumulum ejus multis vita reddita;  
qui cum KVNEGUNDEM matrem suam salutarent,  
probarunt immitiò virginitati sterilitatē objici;

F

quid?

quid? quòd nec ipsa gleba, sub quā virgo cubat, infæcunda fuit, sæpe in thus & far conversa, per suasura mortalibus, nec fragrantiorē esse castimoniā virtutem, neque felicius ullum germen. Ex vitâ apud Gretserum.

*Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, ad sit conscientia solatum, quòd merces nostra magna est in calis, etiam cùm dicunt homines multa mala de nobis piè tamen juste quæ viventibus.* Aug. de bon. Viduit.

## S. CASIMIRUS CONF. 4. Martii.

**C**ASIMIRVS Casimiri Regis Poloniæ F. nec dum ephebis egressus in ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus. Coronam Ungariæ quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat; purpurâ non corpus, sed cilicum tegebat: somnum humi capiebat, gnarus nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula; adgemiscunt regna. Circumstant interea lectulum medicorum turbæ, medicinam facilē nuptias suadent, concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitatem emortuā. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cùm candidissimo equo invectus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & traductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cùm anno obiisset pariente VIRGINE M. CCCC. LXXIII. anno deinde